



## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de  
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non  
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

§. II. Duplici conclusione difficultas resolvitur

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)



## §. II.

*Duplici conclusione difficultas resolvitur.*

**D**ico primò, objectum proximum & immediatum illius delectationis, quâ Beati delectantur de Deo ut præfente, & habito per visionem, esse ipsum Deum; visionem verò esse objectum secundarium, & non solum conditionem illius. Est contra Durandum, asserentem talem delectationem non habere pro objecto proximo & immediato Deum, sed ejus visionem; & contra plures ex Modernis, qui docent ex Deo & visione componi unum objectum totale & immediatum hujusmodi delectationis, quod est Deus visus.

Probatur prima pars ratione fundamentali. Idem est objectum fruitionis & delectationis patriæ, & spei quam habemus in via, licet diversimode; id enim quod in via futurum speratur, delectat in patria ut præfens: Sed objectum primum & immediatum spei, est Deus ut bonum nostrum, non autem visio beatifica: Ergo & delectationis vel fruitionis patriæ. Major patet, Minor probatur primò ex D. Thoma 2. 2. qu. 17. art. 5. ubi ait: *Spei, inquantum est virtus, principale objectum est Deus.* Secundo probatur ratione: Virtus Theologica debet habere Deum pro objecto immediato; aliàs religio & timor Dei essent virtutes Theologicae, si sufficeret respicere Deum mediare: Sed spes est virtus Theologica: Ergo habet Deum pro objecto immediato, non autem visionem beatificam. Quod verò utrumque immediatè non respiciat, eadem ratione convincitur, contra Authores secundæ sententiæ. Virtus enim Theologica habet pro objecto proximo & immediato aliquid purè increatum, non verò aliquid mixtum ex creato & increato: Sed visio beatifica est aliquid creatum: Ergo spes (subindeque fruitio & delectatio illi correspondens in patria) utrumque, Deum scilicet & visionem, pro objecto primario & immediato habere nequit, sed solum Deum, ut habet rationem primi veri & summi boni, quò Beatus fruitur per visionem beatam. Unde Augustinus 10. confess. cap. 23. dicit: *Beata quippe vita est gaudium de veritate, hoc est enim gaudium de te qui veritas es.*

Probatur secundo eadem pars: Illud est objectum immediatum delectationis patriæ, quod est objectum primum & immediatum visionis beatificæ: Sed solus Deus, & non visio, est objectum primum & immediatum visionis beatificæ: Ergo solus Deus, & non visio est objectum immediatum delectationis patriæ. Major patet: objectum enim actûs voluntatis est illud bonum, quod proponitur per illam cognitionem, ad quam sequitur talis actûs voluntatis: Sed nulla est alia cognitio intellectûs, ad quam sequitur delectatio beatifica, quam visio: Ergo illud est objectum immediatum delectationis patriæ, quod est objectum primum & immediatum visionis beatificæ. Minor etiam est evidens: quia visio directè proponit tantum Deum ut summum bonum, & summè delectabilem, non verò seipsam, nisi indirectè, secundariò, & per reflexionem, quatenus est eminenti quodam modo cognitio simul directâ & reflexa: unde licet ipsa visio sit objectum veluti secundarium & mediatum illius delectationis, quâ Beati delectantur de Deo ut præfente & habito per vi-

Tom. III.

**A** sionem, non tamen objectum proximum & immediatum.

Ex hoc probata manet secunda pars conclusionis, quæ asserit visionem non esse puram conditionem, sed etiam objectum secundarium talis delectationis & fruitionis, ut expresse docet Capreolus in 1. dist. 1. qu. 1. art. 1. conclus. 5. ubi ait: *Fruitio beatifica non solum transit objectivè super Deum, imò super visionem quâ videtur Deus, & eadem fruitione fruimur utroque.* Et ad 1. contra 3. dicit, quòd *super utrumque cadit fruitio, sed principalitè & primariò supra Deum, consequenter supra visionem beatificam.*

**B** Confirmatur: Idem est objectum spei & fruitionis, ut supra dicebamus: Sed spes est de utroque, de Deo quidem, seu de beatitudine objectiva, primò & principalitè; de visione autem & beatitudine formali, minùs principalitè & secundariò: Ergo & fruitio. Unde inter fruitionem & delectationem, quâ Beati delectantur de bono divino, quatenus bonum Dei est, & quæ pertinet ad amorem amicitie, & illam quâ delectantur de Deo ut præfente & habito per visionem, quæ ad amorem concupiscentie spectat, hoc reperitur discrimen, quòd in prima visio est solum conditio necessariò requisita, in altera vero non habet solum rationem conditionis, sed etiam objecti secundarii: quia in prima delectatione visio habet solum rationem cognitionis; cognitio autem solum est conditio objecti voluntatis: respectu vero secundæ non solum habet rationem cognitionis, sed etiam adaptionis; adeptio autem ultimi finis, est objectum secundarium spei in via, & delectationis beatificæ in patria.

**D**ico secundo: Delectatio quâ Beati delectantur de actu visionis beatificæ quam eliciunt, quæ etiam ad amorem concupiscentie pertinet, pro objecto immediato habet ipsam visionem, Deum vero pro objecto mediato & quasi connotato per immediatum.

**E** Hæc conclusio est omnino evidens: Sicut enim qui delectatur de actu scientie quem elicit, talem actum pro objecto immediato suæ delectationis habet, & id circa quod talis actus versatur, pro objecto mediato: ita similiter, cum Beati de actu visionis beatificæ, quam eliciunt, delectantur, ipsa visio est objectum immediatum talis delectationis; Deus autem qui per visionem attingitur, objectum mediatum & quasi connotatum per illam: & contra vero quando delectantur de Deo ut præfente & habito per visionem, objectum immediatum talis delectationis est Deus, & visio objectum tantum secundarium & mediatum, ut diximus in præcedenti conclusione. Unde D. Thomas in 4. dist. 49. qu. 3. art. 1. quæstiunc. 1. sic habet: *visio est delectabilis dupliciter, uno modo ex parte objecti visionis, inquantum id quod videtur delectabile est: alio modo ex parte visionis, inquantum ipsum videre delectabile est; delectamur enim cognoscendo mala, quævis ipsa mala non delectent: quia ergo visio beatifica est perfectissima, utroque modo delectabilis est.* Ergo non solum Deus, sed etiam ipsa visio, potest esse immediatum objectum delectationis Beatorum, illius saltem quâ gaudent de actu visionis beatificæ quem eliciunt.

I

§. III.